



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 49. Causa Templariorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIV. A. C. 1311. eo die eritis, quo tu Episcopo Ostien-
sis, divinum sacrificium perages, & un-
ges Regem; atque vos cæteri quatuor
ei dabitis coronam imperatoriam, sce-
ptrum, pomum, gladium, & reliqua. Sub
hæc illis Papa præscribat singulas ex
ordine ceremonias ad normam libri ri-
tualis, qui asservatur in tabulario Ro-
manæ Ecclesiæ. Dabat Grosellæ 10 Jun.
1311: ac Pentecoste hoc anno in 30 Ma-
ji incidit.

§. XLIX.

Causa Templariorum.

Sup. S. 36. *39.* Interim Cognitores pontificii ob causam
Templariorum Parisiis commorantes
inquisitionem amplius anno & dimidio
habitam finierant, ejusque rationem
reddebant Papæ per litteras hanc in-
sententiam exaratas: Sanctissime Pater!
Durui *Templ. p. 170* *172.* Commissam a te nobis inquisitionem, qua
poteramus, maxima fide, cura, & dili-
gentia obivimus. Testes ducentos tri-
ginta & unum variis e provinciis nobis
subministratos, & antea non auditos
percontati sumus. Causæ totius instru-
mentum majusculis scriptum litteris ad
te mittimus: & aliud pro majore secu-
ritate in Parisino Dominæ Nostræ tabu-
lario deposuimus. Dabamus in Abbe-
tia regia prope Pontifaram anno 1311.
pontificii

pontificatus tui sexto, quinta Junii. E-
 rat dies sabbati post Pentecosten. Rex
 Philippus Pulcher tum Pontiferae sena-
 tum habebat suum; cui intererant Ar-
 chiepiscopus Narbonensis, ac Episcopus
 Bajocassinus, ambo de numero Cogni-
 torum: & cum a Senatu non possent
 discedere, reliqui Melodunensem in Ab-
 batiam venere, ut cum Rege ac illis
 colloquerentur, & actioni finem face-
 rent.

Sæcul. XIV.
 A C. 1311.

S. L.

Concilium Ravennanum.

Eodem tempore Raynaldus Archiepis-
 copus Ravennas ob eandem Tem-
 plariorum causam, & ut Papæ jussu ad
 generale concilium se præpararet, syno-
 dum habebat. Convenerant octo pro-
 vincia Episcopi, ac tres Inquisitores
 duo Dominicani, tertius ex Minorum
 Ordine. Septimo decimo Junii, cum
 Ravennæ in Archiepiscopi palatio simul
 essent, adducebantur ad eos septem Tem-
 plarii: quibus ad jusjurandum adactis
 accusationis capita summo a Pontifice
 missa, & verba testium legebantur. Ad
 omnia pro se quisque respondebant, nec
 videbantur commoti vel timidi; & illata
 sibi crimina cuncta pernegabant. Ar-
 chiepiscopus iis remissis rogabat Asses-
 sores,

Rub. lib. 6.
 p. 522. 524.
 &c.
 to. II. Conc.
 p. 1533.